

I. N. J. C.

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> GRADUALIS;  
EXPLICATURA QUÆSTIONEM:

**AN JUS NATURÆ  
ESSET,  
QUAMVIS NULLUS EXISTE-  
RET DEUS?**

QUAM,

CONSENSU AMPLISSIMI SENATUS PHILOSOPHICI  
IN REGIA AD AURAM ACADEMIA,  
SUB PRÆSIDIO,

**MAG. JOHANNIS  
BILMARK,**

HIST. ET PHIL. PRACT. PROF. REG. ET ORD.

*Publico bonorum examini modeste desert***GABRIEL HABERFELT;**

SATA CUNDENSIS.

IN AUDITORIO MAJORI DIE II. MAI

ANNI MDCCCLXIX.

H. A. M. S.

ABOÆ

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

## PLIA PRÆFATIO.

KANSALLIS  
KIRJASTO

**S**icut aquilæ, si vulgo credendum, non sufficit,  
alias post se longe reliquisse volucres, sed re-  
cta trans æthera versus solem contendens, hujus  
& splendorem & calorem ferociter adspennatur; Ita  
quoque dantur homines nonnulli, qui Philosophorum  
aquilæ haberi volunt, ingenii suis tantum & buen-  
tes, ut suas meditationes ultra sphæram cogitatio-  
nis humanæ ferme extendere non dubitent, para-  
doxis opinionibus ita indulgentes, ut disquirere sibi  
religioni non ducant, quid futurum esset, si DEus  
ipse, a quo tamen tori dependemus, non existeret.  
Atque hi fere sunt, qui ineptæ curiositati tantum stu-  
dentes, utilitatem & felicitatem generis humani suis  
lucubrationibus non tam intendunt, quam operose  
disturbant. Enimvero quum Atheismi veneno in-  
fecti ex talibus scriptis phantasmata illa rationum  
colligant, quibus alios, quorum præcordia mel ori ex  
luto fixxit Titan, vel seducant, vel saltem in dubitatio-  
num labyrinths conjiciant, de placidæ mentis gradu  
ipsos suo strepitu deturbantes; perversis horum mo-  
liminibus obviam erit eundum, & quantus in viri-  
di hac herba lateat anguis dispiciendum. Tales e-  
ruditionis humanæ nævos passim occurrere in scri-  
ptis Scholasticorum, quippe quorum totius doctrinæ  
ratio ex portentosis sublimitatibus Philosophico-The-  
ologicis pessime fuerit consarcinata, nemo admodum  
miratur: at quod saniores Philosophi eandem male-  
sanam cramben recoquere non dubitent, justa a-  
nim-

\*) 3 (\*)

nimadversione dignum arbitramur. Instituti autem ratio nunc non permittit, ut singulos errores, ad genus hoc pertinentes, expendamus, facilius enim foret Augiae stabulum repurgare, quam maculas omnes, quibus hi doctores puram adsperserunt Philosophiam, eluere; quamobrem illius solummodo quæstionis: *An Jus naturæ esset, quamvis nullus existeret Deus?* enodationem in nos suscepimus. Fatemur, quod ab aliorum placitis in hac dissertatione subinde recesserimus, veritatis tamen cynosuram attente consideravimus; probe memores verborum CL. STURMII: *Quid oculos nostros perstringi nuda Clarorum Virorum auctoritate patiamur, si sufficientibus non stabiliter rationibus: Quare sua cuique stet auctoritas, sed veritati Triumphus.* Vid. Thes. I. inter Miscellanæas veritates Altdorffii An. 1673. Accipias igitur B. L. qua tamen soles æquanimitate has pagellas, quibus quod non diffiteamur, tria potissimum declarare voluimus, nostram scilicet reverentiam in supremum Deum, amorem in genus humianum & denique veræ sapientiæ studium.

### §. I.

Legem communiter definiunt recentiores Philosophi per normam, cui actiones hominum morales attemperari debent. Enimvero quamvis non diffiteamur, definitiones nominales esse arbitrarias; juxta tamen cavendum esse existimamus, ne tales pro libitu rebus imponantur notiones, quæ a communi loquendi usu recedant. Quod si præstruere licet, op-

pido patet, definitionem legis allatam non esse adæ-  
 quatam, sed suo definito latiorem, quippe quæ con-  
 filia quævis, admonitiones & pacta suo comprehendat  
 ambitu. Ut igitur, quod verum est, adsequamur,  
 recurrentum erit ad ipsam legum originem. Mente  
 igitur dum nobis sistimus momentum illud temporis,  
 quo homo integer & præstantissimis dotibus instructus  
 ex manu Omnipotentis Creatoris in theatrum hujus  
 mundi processit, simul quisque animadvertisit, quod hæ  
 perfectiones inutiles fuissent & etiamnum forent, nisi  
 sapientissimus Monarcha certum constituisset ordi-  
 nem ac modum, quibus convenienter actiones mor-  
 talium dirigerentur. Nimium autem tribuunt inge-  
 nio humano quotquot sibi aliisque persuadent, quod  
 homines a se ipsis tales formare potuerint regulas,  
 siquidem tunc *utilitas propria justi prope mater &*  
*æqui* fuisset: at quot hinc collisiones in vita humana!  
 Nec tam agendi normam ab aliis sui similibus rece-  
 pere potuerunt, quippe quorum nec præ se præstan-  
 tam, nedum in se imperium agnoverunt. Unde prono-  
 fluit alveo, quod normæ actionum, quæ hominibus,  
 in statu integritatis constitutis, præscriberentur, a Su-  
 periori proficerentur, seu a tali, qui & justas ha-  
 bet caussas exigendi, ut alii ad ipsius voluntatem a-  
 ctiones suas componant, & simul potentia pollet,  
 immorigeros intra officiorum gyrum coercendi. Hoc  
 autem tanto magis necessarium fuit, postquam ho-  
 mines a gradu perfectionum, sibi primitus concessa-  
 rum, descivissent, atque libertate & independentia  
 ab aliorum, sui similium, arbitrio in suam aliorum-

que

que perniciem abuterentur. Sicut enim Lex sine exsecu-  
tione nihil aliud est, quam campana sine pistillo; Ita  
nisi in eum statum redacti sint mortales, ut Superio-  
ris iussa capescere teneantur, vanæ erunt leges nec  
bonorum præsidia nec malorum repagula: ergo ad-  
curatam legis definitionem necessario ingreditur i-  
dea Superioris. Id quod hoc etiam modo brevius  
demonstrari potest. Nulla lex datur sine Legislatore;  
nullus enim effectus esse potest sine causa: Legisla-  
tor autem necessario est superior, quippe quum pot-  
estas leges ferendi præcellentiam quandam præ a-  
liis involvat, eadem nec æqualibus, nedum inferio-  
ribus, vindicari potest. Ergo nec norma actionum  
moralium Lex dici potest, nisi a Superiore profe-  
cta. Quibus præmissis, Legem recte definimus per  
præceptum Superioris, quo sibi obligat inferiores,  
ut ad ipsius præscriptum actiones suas componant.

## §. II.

Legibus in universum omnibus vim obligan-  
di competere, in confessio est. Enimvero sicut obli-  
gatio consistit in necessitate morali aliquid agendi vel  
omittendi, necessitas autem moralis nitatur motivis,  
quæ repræsentationes boni vel mali continent: ergo  
dispiciendum erit, unde motiva, Legibus obedien-  
tiam præstandi, præcipue sumantur. Quum igitur  
in consiliis atque pacis motiva sumantur a privata  
cujuslibet & reciproca singulorum utilitate, necesse  
est, ut leges, opot illis valentiores, aliunde ma-  
jorem adhuc vim obligandi consequantur. Rebus

autem rite pensatis satis convincimur, quod præcipua legibus parendi motiva petantur a voluntate Superioris, qui rerum circumstantium indolem ac nexus considerans, certam actionum civium directio-nem introduxit, quia salus publica aliter promoveri nequit. Publicæ felicitatis circulo comprehendendi et-jam privatam, vel per se patet, quamvis hujus cum illa nexus non omnes statim perspiciant. Præterea licet in castra eorum Philosophorum non transeamus, qui omnem obligationem niti auctoritate Superioris, sibi aliisque persuadent, ideoque obligationem generaliter definiunt per necessitatem moralem aliquid agendi a jure superioris profectam; probe gnari, quod par parem valide etiam obligare possit; attamen obligatio, quæ Legibus inest, a jure etiam Superioris erit derivanda; nulla enim propior est ratio, cur legibus, quæ libertatem meam naturalem, auro contra & argento mihi cariorem, constringunt, paream, quam quod satis superque sciam, quod eadem ab illo sint profectæ, cui jugem debo observantiam, vel propter continuam meam ab illo dependentiam, vel quod sancte promiserim, me sedulo effecturum, quicquid Legislator utile duxerit, mihique præceperit. Removeas igitur notionem Superioris ab idea Legis & simul necesse est tollas omnem hujus obligandi vim; Et proinde legum nullus erit usus, qui nunc maximus est.

## §. III.

Postquam ita de fundamento obligationis, quæ Le-

Legibus competit, generaliter differuimus, in naturam atque indolem Legis naturalis speciatim nunc erit inquirendum. Constat autem, quod legem Naturalem diversimode definire soleant diversi Scriptores. PUFENDORFIUS & ejus adseclæ dicunt, quod Lex Naturalis, sit illa norma, quæ cum rationali & sociali hominis natura ita congruit, ut humano generi honesta & pacifica societas circa eandem constare nequeat. A qua opinione alii verbis potius, quam re ipsa dissentunt. Enimvero in allata definitione primum desideramus, quod nulla fiat mentio Superioris, a quo tamen præcipua petuntur motiva legibus parendi, sicut in antecedentibus ostendimus. Deinde quum quælibet etiam Lex Civilis ita sit comparata, ut sine ejus observantia, honesta ac pacifica societas, ad quam colendam ipsa nos non tam dicit quam rapit natura, consistere potest, sequitur allatæ definitioni characterem nullum distinctivum Legis Naturalis inesse. Quum igitur notionem Legis generalem modo exhibuerimus, Legem Naturalem specialiter nunc definimus, quod sit preceptum, quo DEus sibi omnes obligat homines, ut ad ipsius præscriptum, quod per dictamen sanæ rationis ex consideratione tam attributorum Divinorum, quam naturæ humanae innotescit, actiones suas componant. Ex qua allata definitione satis appareat, Legem Naturæ nullam omnino futuram, nisi existat DEus, ejusdem Legislator.

## §. IV.

Enimvero dantur Eruditi nonnulli, qui contenedere

dere non dubitant, Legem Naturæ non esse Legem vere ac proprie dictam. De qua præsumtione ut sententiam nostram aperiamus, ne tamen Andabaturum more pugnemus, statim constituenda sunt necessaria Legis requisita. 1:0 Igitur Lex erit profecta ab idoneo Superiori. 2:0 Continebit præcepta de agendis vel omittendis, quæ in subditorum notitiam pervenerunt. 3:0 Poenias indicabit, quas sentient, quotquot legem temere transgrediuntur. Jam quum omnes homines in conscientia sua intime sint convicti, quod Legi Naturali æqualiter sint subjecti, hæc ipsa Lex (liceat hoc vocabulo uti) necessario ab eo lata fuit, qui æquale imperium tam in genus humanum, quam in universum mundum exercet, cui omnia Entia suam debent existentiam, & quæ ad illam continuandam pertinent bona: adeoque patet, quod DEus sit ille Superior, qui Legem Naturalem hominibus tulit. De qua re tanto minus erit dubitandum, quod ipsi gentiles sponte sua agnoverint, DEum esse Auctorem Legis Naturalis, cuius rei insignem ex CICERONE locum nobis conservavit LACTANTIUS: *Est quidem vera Lex, recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, semper iterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra jubet aut vetat: nec improbos jubendo aut vetando movet.* *Huic Legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest.* Nec vero aut per Senatum aut per populum solvi bac lege possumus. Neque est querendus explanator aut interpres alius.

alias. Nec erit alia Lex Romæ, alia Athenis, alia  
 nunc, alia posthac; Sed & omnes gentes & omni tem-  
 pore una Lex & sempiterna & immutabilis contine-  
 bit, unusque erit communis quasi Magister & Impera-  
 tor omnium DEus; ille legis hujus inventor, disceptator,  
 lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam  
 hominis adsperrabitur, hoc ipso luet maximas pœnas,  
 etiam si cetera supplicia, quæ putantur, effugerit. Vid.  
 CICERON. Libr. 3. de Republ. apud LACTANTIUM  
 Libr. VI. Cap. 8. Deinde quod Lex Naturalis con-  
 tineat præcepta de agendis vel fugiendis, tam cer-  
 tum est, ut ne illi quidem, qui Scepticismi œstro  
 perciti existentiam Divinam temere negant, de hac  
 re dubitare audeant. Sunt hæc ipsa præcepta pau-  
 ca, plana & perspicua: quamobrem parvi igniculi  
 & semina insita omnium artium CICERONI ac SE-  
 NECÆ dicuntur; quæ etsi malis moribus & operi-  
 bus pravis sæpe quasi extinguantur, dum tamen  
 mens nostra ad se redit, facile eadem percipit. Ad-  
 est enim veluti genius quidam intra cordis nostri  
 sepimenta, qui præcepta Juris Naturalis, tabulis cor-  
 dium nostrorum alte impressa, dum animo sua con-  
 stant halcyonia, clara voce nobis prælegit, nostrique  
 officii ita nos admonet; qui vero dum affectuum  
 fluctus exæstuant & tabulam cordis transcendunt,  
 litteras illas non amplius videt. Taciturnus igitur  
 cordi adsidet, donec, fluctibus subsidentibus, scriptu-  
 ra emergat, & ipse lectioni consuetæ vacare possit.  
 Denique quum DEus sit supremus Legislator, non  
 potuit non vi justitiæ suæ convenientes pœnas male-  
 feria-

feriatis statuere. Cogites enim quamcunque malam actionem, & deprehendes naturale malum cum eadem esse coniunctum; quod tam animi, quam corporis vires graviter, licet lente, adfligit. Immo vitium quodvis est instar ferocis canis, cuius caput si demulceas, ipse vicissim manum tuam mordet; nam quo quis peccat, eodem & ipse punitur. Sero quidem nonnunquam manifestantur judicia Divina, sed quæ tanto gravius incumbunt. Exemplo res fieri adhuc clarior. Ponamus quendam Bacchi Venerisque vel aliorum vitiorum operatorem: ille quidem aliquamdiu in suis sordibus, quod delectet, inveniet, sed hoc illius gaudium num verum, num durabile? Minime. Opibus enim dilapidatis, viribusque enervatis, vel miserrimam transfiget vitam, aliis derisui, sibi ipsi oneri erit; vel in gravem morbum incidet, immo præmaturam mortem sibi consiliet. Ex quibus in summam collectis luculenter adparet, quod Legi Naturali competant necessaria Legis requisita, adeoque quod eadem vere ac proprie dicta Lex sit: Ergo habebit superiorem scilicet DEum, qui si removeretur nec Lex Naturalis amplius consistere potest.

## §. V.

Enimvero qui graviter crepant, Legem Naturalem futuram, quamvis nullus existeret DEus, duplice potissimum argumento ad suam corroborandam opinionem utuntur. Scilicet primo contendunt, bonitatem vel pravitatem internam singulis actionibus humanis competere, quam ex consideratio-

tione naturæ nostræ luculenter investigari posse ut-  
gent, & quæ hinc emergunt ratiocinia pro præce-  
ptis Legis Naturalis habent. H. ne autem argumen-  
tandi rationem quum idea DEi non ingrediatur,  
mox colligunt, Legem Naturalem futuram, licet exi-  
stentia DEi non admittatur. Ne vero talibus præmis-  
sis, quales modo indicavimus, fucum alicui faciant  
hi Philosophi, quid de illis, salva veritate, statuendum  
sit, nunc erit inquirendum. Concedimus dari in-  
ternas actionum nostrarum ut aliarum rerum, qua-  
litates, sed non inde sequitur, bonitatem vel pra-  
vitatem in omnium sensus statim incurrere; siqui-  
dem bonitas vel pravitas relationem quandam ad a-  
liud habeat, quemadmodum corporum rectitudo vel  
curvatura non ex his ipsis, sed ex adsumta regula,  
estimari solet. Quum itaque bonitas & pravitas di-  
versimode definiri soleant, igitur harum notio in  
antecepsum erit determinanda. *Actionem bonam* di-  
cunt PUFENDORFIANI illam, quæ quoad omnes  
circumstantias cum Lege convenit; Sicut *actio ma-  
la* illis audit, quæ a lege quomodocunque discrepat.  
Verum non est reticendum, quod ita appellent ac-  
tiones moraliter bonas vel malas; actiones natura-  
liter bonas vel malas nuncupantes illas, quæ per-  
fectionem vel imperfectionem hominis promovent.  
Hæ autem notiones magis concipiendi modo, quam  
re ipsa a se discrepant. Fingamus enim *actionem A* bonam esse; unde quæso sciens præstntem  
hanc ejus qualitatem, præsertim quum bona malis  
& vicissim mala bonis plerumque sint permixta, nisi

legem consulamus, quæ indolem actionis, hujusque cum nostra felicitate vel infelicitate nexum, antequam experimentum fiat, exponit. Tendimus quidem omnes ad felicitatis portum, sed non singulæ loxodromiæ, quas nobis fingimus, hic nos conducunt. Quamobrem actionem naturaliter bonam dicimus, quæ cum sanctitate ceterisque perfectionibus DEi, qui naturæ Auctor est, convenit, cuiusque effectus est, quod nos & statum nostrum reddat perfectiorem; oppositam vero actionem nuncupamus malam. Nec altera præmissarum a dissentientibus allatarum firmiori nititur tali, dum contendunt, bonitatem vel pravitatem actionum ex consideratione naturæ humanæ solummodo esse æstimandam. In ipso enim limine quæri potest, an integrum intelligent naturam humanam, an illam, quam circumferimus, penitus corruptam. Si prius non alii Legem Naturalem rite intelligent, quam qui statum hominis integrum ex verbo DEi revelato cognoverunt; quocirca pleræque gentes a notitia Legis Naturalis sunt remotæ, quod certe atlati problematis defensoribus minime arridet. Si autem præsentem nostram indolem pro norma adsumamus, dispiciendum erit, qualis illa sit. Notum vero est, quod cœci etiam Gentiles non absque dolore & rubore agnoverunt, maximam esse ingenii humani pravitatem, quæ ferinam etiam indolem quandoque superat; adeoque si ex consideratione naturæ nostræ præcepta Legis Naturalis derivemus vel ipsa utilitas propria erit primum actionum nostrarum mobile,

bile, at quanta hinc passim & ubique confusio, vel normam actionum humanarum statueremus pravam & Lesbia Regula deteriorem. Res enim eodem ferme modo sese habet, ac si quis non in plano speculo, sed in incurvato faciem suam contemplaretur, in quo, sicut ex Optica constat, facies maxime deformes saepe venustissimas se conspiciendas praebent, dum contra ea pulcherrimæ nibil produnt, quod placeat. Similiter si naturam nostram sequamur ducem, vera & apparentia bona facile inter se permutarentur ; saltem a priori, quod tamen necessarium est, non dignoscerentur. Denique si conjectaria ex naturæ humanæ consideratione petita, pro præceptis Legis Naturalis habeamus, Legis nomen non merentur, quum potius consilia sint, quæ quisque sibi suggerit, & quæ si non sequatur, privatur quidem nonnunquam aliquo bono, sed quod ipsum non admodum potest adfligere, siquidem ejus jacturam exquisita voluptate vel dudum resarciverit, vel data occasione resarcire adhuc possit. Ex quibus fatis adparet, quam inadæquatos conceptus tam bonitatis & pravitatis actionum, quam Legis Naturalis foveant dissentientes, quare quum conclusio a suis quasi coloretur præmissis, sequitur, quod nec species, nedum robur, insit argumentandi rationi, qua adstruunt Legem Naturalem futuram, quamvis Deus non existeret.

## §. VI.

Verum ne morosi forte videamur, ponamus a-

liquantis per, verum esse, quod venditant dissentientes, scilicet Legem Naturalem futuram, quamvis non existeret Deus: Ergo illa in supremo Numine rationem existentiæ suæ non habet: Ergo & homo quoad observantiam Legis Naturalis sui est arbitrii, nec imperii Divini rigorem admodum extimescere necesse habet, Si secus nonnunquam egerit, quam Lex illa præcipiat: Ergo stante hac hypothesi, homo ab ipso DEO in omnibus non dependeret, sed sui ipsius Dominus foret: quæ conclusiones quam latam pandant viam ad crassissimum Atheismum, quisque, vel me non monente, oppido intelligit. Deinde per placitum modo memoratum obtunduntur stimuli illi conscientiæ, qui malos partim retardant in sceleribus perpetrandis, partim etiam post commissa flagitia ipsos adeo exagitant, ut in idem nequitiarum barathrum sese deinceps temere non conjiciant. Si enim Lex Naturalis non dependeat a DEO, ergo nec ab ipso lata est: Ergo si quis ipsam violaverit, Supremum rerum Moderatorem directe non offendit, sed in semetipsum tantummodo est injurius, proindeque mali imminentis dolor compensatur recordatione voluptatis, quam declinando a Lege forte percepit. Denique si Lex Naturalis sit illa, quæ in natura hominis fundata, ex ejusdem consideratione innotescit; sequitur, quod inter brutorum animalium naturalem instinctum, qui in naturæ ipsorum indole fundatur, & Legem Naturalem exigua sit differentia, ex solo partium constituentium mechanismo forte repetenda. Sed quam

quam indigna genere humano isthac sit conclusio,  
tam inepta est illorum argumentandi ratio, qui  
contendunt Legem Naturalem futuram, quamvis  
non existeret DEUS.

## §. VII.

Ne autem alicui dicam præter meritum in hoc  
negotio scribere velle videamur, ostendendum erit,  
quod revera fuerint Eraditi, qui statuerint, Legem  
Naturalem futuram, licet non esset DEUS. In hanc  
igitur opinionem primum iverunt Scholastici. Ju-  
vat autem verba HEINECCII, ejusque epicrisis de  
hac controversia adducere: ita autem ille in obser-  
vationibus ad GROTIUM, Proëmi. §. II. Scholastici o-  
mnes miro consensu doceant, Jus Naturæ fore, etiamsi non  
sit DEus, vel aliquid justum esse, antecedenter ad DEum.  
Dicunt enim 1:o Ipsam rectam rationem docere, societatem  
humanam consistere non posse, si unicusque liceret furari,  
adulteria committere, occidere. Hinc et si DEus nunquam  
dixisset, ne furare, ne occide, tamen unumquemque, qui ra-  
tionem sequi velit, secum cogitaturum, sibi ab his facino-  
ribus abstinentium esse. Ex quo sequi putant, ut Jus ali-  
quod futurum sit, et si non esset DEus. 2:o Idem probant  
experientia. Nam si consideremus Atheos in republica vi-  
ventes, ii plerumque civiliter boni sunt, & id de plerisque  
Atheis ostendere conatus est BAVLIUS in Dictionario Hi-  
storico-Critico sub articulis SPINOZA, ZENON &  
aliis. Cur vero? Quia ratio nos docet, abstinentium esse ab  
his criminibus, et si non esset DEus. Imprimis urgeri pos-  
set exemplum Sinensium. Maximi bi sunt Spinofisti, nibil-  
que horum Philosophia differt a dogmatibus Spinoza, &  
tamen LEIBNITIUS in prefatione, Novissimis Sinicis pre-  
missa,

missa, docet, non esse ullam gentem justitiae studiosorem Sinenſi. Quis itaque dubitet, Juri Naturali locum fore, et jamſi non sit Deus. Sed falsissima nibilominus hæc est doctrina. Nullum enim Ius est sine obligatione, nulla obligatio sine lege, nulla Lex sine Legislatore. Si ergo ponamus, non esse Deum, nec Legislator esset, nec Lex nec obligatio: adeoque nec Ius. Haec tenus HEINECCIUS. In caſtra Scholasticorum transiſſe videtur etiam GROTIUS, Restaurator ille Jurisprudentiæ Naturalis, qui Prolegom. J. B. & P. §. II. ita ſcribit: Et hæc quidem, loquitur de Jure Naturali, locum aliquem haberent, et si daremus, quod sine ſummo ſcelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab eo negotia humana; cuius contrarium cum nobis partim ratio partim traditio perpetua inſeverint, conſirmant vero & argumenta multa & mirabilia ab omnibus ſæculis teſtata, ſequitur, jam ipſi Deo ut Opifici & cui nos noſtraque omnia debeamus, ſine exceptione parendum nobis esse. Tacemus alios, qui modo nominatis Auctoribus pollicem in praesenti prenunt argumento, nobis enim non eſt propositum, centonem quendam variorum opinionum proponeare, ſed paucis tantum docere, quid in re adeo ardua ſtatuendum ſit, ne veritati vis inferatur. Fauxit vero Supremum NUMEN, ut hæc aliaque noſtra conamina in Ejus tendant GLORIAM!

